



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Hermannii Conringii De Antiquitatibus Academicis  
Dissertationes**

**Conring, Hermann**

**Helmestadii, 1674**

Hermannvs Conringivs Benevolo Lectori S. P. D.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12929**

HERMANNVS CONRINGIVS  
BENEVOLO LECTORI  
S. P. D.

**S**Ex hac de Antiquitatibus Academicis Dissertationes in publicis Academiae Iuliæ & conventibus, intra quadriennium, ab anno usq; post tricesimum septimo, abs me habitas esse, ipsamet earum inscriptiones significant. Tam prolixæ tamen omnia dicta non esse, ultra fateor. Et vero molestum fuisse auditoribus, adeo longis sermonibus præbere aures. Nec conuenit prudentia oratoris, defatigare eos, quos benevolos semper atq; attentos habere ipse orationis cuiusq; scopus efflagitat; ac proinde à me etiam sancte observari idem oportuit, præsertim quia quavis vice multa quoque alia agere feria solemnies jusserunt. Igitur in illam qua nunc sunt magnitudinem exereverunt Dissertationes decimo demum post anno: quando nimirum in unum volumen redactas in lucem edere illas institui. Tunc scilicet alia mutavere, alia complura addita; non nisi interpolando tamen, atq; inserta prioribus: ut quæ nova sint, quæ vetera, discerni nunc amplius nequeat. Ceterum illius editionis exempla omnia brevi fuerunt avida emptorum ma-

:)( 2                    nudis

nū distracta: sive insperata novitas argumenti sive  
qua alia hedera venditionem festinaverit: qua-  
propter sapissime & recensio & nova publicatio li-  
bri à me petita & desiderata fuit. Nunc tamen  
tandem, quarto & vicesimo post anno, infinitis &  
plane diversis occupationibus interea temporis tan-  
tum non attritus, ut exspectationi isti quadam tenus  
saltim respondeam, potui adduci. Hac sane recen-  
sione plurima passim in Dissertationibus ipsis sunt  
emendata: & accessit ejusdem cum Dissertationi-  
bus argumenti Novorum Supplementorum liber in-  
teger. Supplementorum inquam novus liber acces-  
sit. Non enim denuo interpolare ipsas Dissertationes  
placuit: nec commode id ipsum fieri potuit absq;  
Dissertationum labe, quum plane alia & quidem  
prolixa debuerint accedere, cujusmodi non patiun-  
tur insertionem. Id quod Supplementa excutienti  
cuilibet non potest non liquidum videri. Quantum-  
vis autem Supplementa ista doceant multa qua Dissertationibus haud continentur; omnia tamen omnino  
Academica vetera ne sic quidem me persequum-  
tum, ingenue confiteor. Quinimo ne quidem tangere  
universa isthac consilium fuit. Singulas sane si specte-  
mus Scholas ejusmodi Academicas prisci & vi, mul-  
tas earum de industria silentio præterii, quod singu-  
gulas

las illorum recensere non constituisse sed duntaxat antiquum Academicarum statum: idq; in id solum ut rectius intelligi possit, quid rerum nostrarum vetus, quid novum, atque adeo qua origine & quando saltim potissima quaque nostra inciperint. De singulis agere est opera à meo quidem proposito diversæ: ejus nimirum quam Middendorpius excolendam suscepit, et si argumento illi multum fuerit impar. Complura ceteroquin hujus generis in Adversariis nostris annotavimus, de Philosophicis cum primis & Medicis Scholis Græcarum aliarumque gentium, hic consulto neglecta. Ne quidem jactaverim vero, nihil à me omissum quod ad hunc locum meum pertineat, atq; adeo nullum posse spicilegium fieri post meam messem. Pleraque & potissima quævis Antiquitatum Academicarum si existimer cum cura persecutus, satis forte mihi fuerit; quandoquidem primus, nisi fallor, materiam hanc eruderare sum aggressus. Quod deest addant alii: sitq; proinde ex hoc labore præmium aliis quoq; mecum commune. Et sanc ipse optaverim, ab aliis narrari isthac omnia, justa temporum gentiumq; serie observata: quod nisi fallor haud multum jam fuerit difficile; non utile a utem minus, atq; prodest ordine rerum quarumvis ci vilium historiam recitare. Sane hæc etiam quæ nos narravi-

):( ):( 3

mus

mus necessaria sunt scitu ad perfectionem historie  
literariae: cuius sola illa partes quae circa scriptores o-  
mnigenae doctrina versantur hactenus elaboratae sunt;  
nece tamen etiam illae omnes, et si praeterea aliis magnum  
heic premium opera fecerit vir incomparabilis indu-  
stria Gerardus Joannes Vossius. Est autem, saltim  
esse merito oportet, etiam hoc Historiae genus, iis qui  
eruditionis studio ducuntur, non minus jucundum  
aut minus commodum, quam civilium rerum comme-  
moratio juvat eos qui civilibus negotiis delectantur.  
Mihi certe a teneris usque Historia literaria fere  
plus voluptatis attulit quam ulla civilium. Taceo  
nunc, conducere etiam hanc ad civilem prudentiam;  
non omnem quidem, illam tamen quae constituere de-  
bet, quemadmodum et in quantum eruditio quavis  
in republica sit comparanda per scholas et alia  
doctrinae adminicula. Etiam enim hoc pertinet ad  
vere beatam rem publicam: non sanc civitas ulla est  
felix si eruditione fuerit destituta, artium insignium  
ac scientiarum rudis. Ad hanc autem prudentiae civi-  
lis partem parandam non minus hac literaria est histo-  
ria utilis, atque ad alia civilis regiminis omnia pacis  
bellique rerum multiplex commemoratione. Quodfor-  
tassis haud difficile possit etiam a me ostendi, si institu-  
tum pateretur, aut hoc agere vacaret. Supplementis  
praterea

præterea proxime subjunximus Diploma Optimi E<sup>ccles</sup>  
Sapientissimi Imperatoris Maximiliani secundi, illud  
quo Julianam hanc nostram Academiam condidit.  
Repeti enim etiam heic meretur, quia editione Dis-  
sertationum prima jam tum productum est; præcipue  
autem, quia vergit in perpetuam Academia nostræ  
laudem, ab illo Cæsare, qui nemini hactenus modera-  
tione animi inter diversa de sacris profanisq<sup>z</sup>, Imperii  
rebus sentientes fuit secundus, auctoritatem atq<sup>z</sup> ori-  
ginem suam, imo si fas est addi, etiam exemplum quod  
imitetur, accepisse; quodque præ aliis sui ordinis  
scholis fuerit isthuc ipso diplomate Julia hac exorna-  
ta Adjunximus præterea E<sup>ccles</sup> Epistolam V. C. Joannis  
Joachimi Maderi amici non è multis, quam ad  
me de vetustis Academiarum rebus exaravit. Ut  
enim auctor rerum multarum veterum peritia est  
eximus, ita E<sup>ccles</sup> hac ejus epistola visa mihi est digna  
qua ab omnibus heic quoq<sup>z</sup>, E<sup>ccles</sup> legatur E<sup>ccles</sup> estimetur.  
Postremo duxi hanc futurum abs re, si ex more hujus  
ævi per quam utili, memorabilium quarumvis utri-  
usque libri rerum locupletibus indicibus volumen hoc  
perficiatur. Et sane meo quidem voto abunde ab  
amicis hic est satis factum: nec dubito proinde hinc  
Lectoribus, saltim iis qui compendia laborum nec in-  
juria

juria sectantur, haud leve commodum polliceri.  
Dum recenso autem omnia, fateor occurrisse quæ  
scribentis industriam effugerunt, atq; adeo potuissent  
haud inutiliter addi: sed colophonem imponere vale-  
tudo quoq; minus solito nunc favens imperat. Tantum  
igitur unum illud moneo: quæ pag. 222, Supplemento  
VII, ex Suida adduxi, totidem pene verbis, in ipsis  
vitæ Isidori Philosophi Atheniensis à Damasco Da-  
masceno olim scriptæ Photianis Excerptis reperiri: ut  
hinc quoque pateat inscitia superbi illius & iniqui in-  
ceptiq; scioli, qui Suidea omnia credit deberi solis iis  
quorum nomina operis primæ pagina leguntur in-  
scripta. Alia ut moneam, nec Tu, Lector Benevole,  
fortassis exposcas. Igitur nunc quidem nihil Te rogo  
aliud, quam ut favere mihi ne desinas, & ignoscas  
alicubi cespitanti, memor communis mortalium  
imbecillitatis. Helimestadii 11x Kal. Augusti Anno  
CIO ID C LXXXIV.

DE